



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

4 Confessarius erga poenitentem rusticum quomodo se gerere debet.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13903**

- 6 Locare meretrici operas, seu domum, absque consensu in peccatum licet.
- 7 Peccatum unum committit pluries post fornicationem o-senlans.
- 8 Scire quæ quisque Christianus teneat explicite.
- 9 Ignorantia iuris excusat, nisi sit dicitur; vel humani quod quis scire tenetur.
- 10 Consulens superiores credens eos habere sufficientem scientiam, etiamsi erret, non peccat.
- 11 Opinionem eligens quam putat rationi conformem, satisfacit.
- 12 Consulens Doctorem, ubi sunt diuersæ opiniones, sequitur, quam Doctor diffinit.
- 13 Dubitans, agere nequit, nisi ex aliquibus rationibus in alteram partem inclinet.
- 14 Confessiones ut iterabit penitens, quando confessor facultatem eum absoluendi, non habuit.
- 15 Absolui potest, ab omnibus, qui unum, vel alterum peccatum ob ignorantiam linguæ confiteri noluit.
- 16 Confessor periclitans in nauis audiens, nisi integrè confessos, non absoluit.
- 17 Confessarius impedire debet, ne confessio iteretur.
- 18 Episcopus approbatum confessorem eligat, si per Iubilæum absolui velit.
- 19 Penitentiarius Maior presbytericæ occulto publicam penitentiam imponere potest.
- 20 Absolvere nequeunt Mendicantes a reseruatibus episcopis penitentium, etiamsi in urbe confessiones audiant.
- 21 Absolui potest quisque in articulo mortis a quolibet sacerdote, sed consulte a proprio, si haberi poterit.
- 22 Interdictus ut vnus de Capitulo, cur potest in sacro sepeliri.
- 23 Eucharistia damnato ad mortem, si ieiunus sit, non est neganda.
- 24 Penitens confessario suo docto credens, a culpa, & pena excusatur, licet ipse erraret.
- 25 Regulares virtute Iubilæi etiam sacerdotibus secularibus confiteri possunt.
- 26 Facultas edendi carnes in diebus ieiuniorum dicenti se Nobilem, & infirmum, valet, etsi nobilis non sit.
- 27 Confessor secundus per Cruciatam electus potest ex causa penitentiam a primo postquam mutare, nō auditis peccatis, pro quibus posita est.
- 28 Cruciatam præsentis anni suscipiens, gratijs præcedentis anni gaudet.
- 29 Cruciatam habentes, oua, aut pisces alternis diebus edere possunt.
- 30 Ieiunare qui non tenetur, potest per Cruciatam in prandio pisces, & in cena edere oua.
- 31 Excommunicatus generaliter ab homine non denunciatus, sicut si a iure, absolui potest.
- 32 Religiosus facultatem habens audiendi omnes ad eum venientes, quid potest.
- 33 Cruciatæ Commissarius quas gratias suspendere valet.
- 34 Negligentia hæredis causare potest, ut anima testatoris in purgatorio detineatur.
- 35 Seruientes heris concubinarijs, an, & quando absolui possunt.
- 36 Cooperando facto malo alterius quando peccatum est.
- 37 Concessio facta ab eo, qui retinet beneficia male obiecta, reiteranda, & quare.
- 38 Peccatum unum in genere moris, quando plures actus externi constituunt.
- 39 Uno impetu, qui eundem peccati actum reiterat, an pluries peccet, aut pluries excommunicetur.
- 40 Confiteri sufficit vltimam speciem peccati necessario con-

fitendam tacendo vltimam peccati necessario non confitendi.

- 41 Aduocati, medici, & quilibet consultores non tenentur ob monitoria publicata, reuelare secreta sibi comunicata.
- 42 Casuum reseruatorum relaxationem an episcopus ob largitionem elemosinæ concedere possit.
- 43 Absolutus a reseruatibus rigore Iubilæi, quod intendebat faciendo omnia requisita ad id lucrandum, licet postea omnia non adimpleat, remanet valide absolutus.
- 44 Penitentiarius cathedralis ex sola vi sui officij, a casibus reseruatibus non absoluit.
- 45 Casus reseruati episcopo non ideo parochus absolvere potest, quod credat nociturum penitenti, ut ad episcopum mittatur.
- 46 Penitentiam impositam à superiore in absoluteione a casu reseruato, inferior mutare potest.
- 47 Papa facultatem absoluendi a casibus reseruatibus episcopo, eo inuito, concedere potest.
- 48 Indulgentia elemosynam porrigentibus, iuste a Papa concedi potest.
- 49 Indulgentia concessa queri non potest, nisi onus ad eam querendam impositum adimpleatur.

DECISIO I.

Ex cons. 1. alias 39. de sent. excom.

**N**Aufragorum bona accipientes animo ea Dominis restituendi, aut ea esse rapta, aut ex naufragio accepta, aut naufragorum fuisse ignorantes, licet restituere nolint, & in mora sint restituendi, excommunicationem quidem a Cœcilio Lateranensi latam, nec reseruatam incurunt; & excommunicamus de raptoribus, in excommunicationem autem Bullæ Cœnæ, quæ eos solum excommunicat cum eius reseruatione, qui rapuerint, aut scienter ipsi sibi acceperint, aut ab alijs rapta, aut accepta scienter acceperint, non incidunt.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 17.

**F**acultas à Papa concessa ut visitantes aliquam ecclesiam, & sua peccata confitentes, ab omnibus peccatis, etiam reseruatibus absolui possint, per suspensiones indulgentiarum plenarum in Bullis Iubilæorum fieri solitas non renocatur, cum facultas absoluendi a peccatis reseruatibus alibi, quam in Bulla cœnæ Domini, ab indulgentiis plane diuersa censetur.

DECISIO III.

**C**lausula derogatoria derogatoriarum a Papa in concessione apposita, ne in Bulla aliqua secutura Prælegio concessio derogetur, nisi de illo priori fiat mentio in posteriori de verba ad verbum per clausulas derogatorias Bullæ posterioris, in qua derogatur omnibus clausulis derogatorijs, quæ alicubi inueniri possint, habendo illas prout de verbo ad verbum expressas, tollitur, ut stylus curiæ obseruat.

DECISIO IV.

Ex cons. 4. [alias.] 12.

3. 12.

**R**viticus, qui inter confitendum asserit se a suo parochio non solere, nec solitum esse interrogari de numero peccatorum, nec de speciebus blasphemiarum, sed parochum contentum esse, si ipse penitens dicat solum, Ego Deum & sanctos omnibus vel pluribus, ac pluribus modis blasphemavi, huiusmodi confessiones bona fide factas reiterare non tenetur; obligatur tamen confessarius dictum penitentem interrogare, ut explicet ei verisimilem numerum peccatorum mortalium a se admissorum, quem antea non fuit confessus, nimirum, ut quoties toto vitæ suæ tempore Deum, vel sanctos hoc, vel illo modo blasphemauerit, & sic de alijs

de alijs peccatis, quorum numerum ex præarrata ignorantia nunquam expressit, & penitens eundem verisimilem numerum peccatorum, quem in alijs confessionibus confessus non sit, confiteri tenetur vt patet per Conc. Trifess. 14. c. 5. can. 7. & Nau. in Man. c. 6. nu. 16.

## DECISIO V.

Ex cons. 3. alias 3.

**I**niuriam passus quamuis odium, & rancorem malum, non tamen iniuriarum actionem ex præcepto remittere tenetur, ex Gl. in ca. si quis contristatus. d. 90. sed neque iniurios amore speciali amare, aut pro ipsis specialiter orare, aut specialis amoris signa eis monstrare, loquendo, conuersando, & alia similia exhibendo, extra casum necessitatis extrema tenetur: vt ait S. Tho. 2. 2. q. 25. ar. 8. & 9. vnde & iniuriam post oblatam satisfactionem remittere renuens absolui debet ex Caic. 2. 2. q. 25. ar. 8. & 9. nisi ex non remittendo iniuriam scandalum aliquod oriretur, aut euidens periculum concipiendi odium & rancorem contra iniuriantem ad quæ uitanda tenetur iniuriam passus de necessitate salutis sue, & nolens id facere confessarius illum absolueri non debet, sicut iure naturali ieiunare tenetur is, qui probabiliter credit se a carnis tentatione victum iri, nisi feiunio præmunit, vt colligitur ex S. Th. 2. 2. quest. 137. art. 3.

## DECISIO VI.

Ex cons. 6. alias 5.

**P**vella quæ meliorem non reperigns conditionem, ponuenta mercede mentrua, rāquam serua meretrici publice inferuire cogitur, sine peccato, obsequia meretrici, aut alicui alteri peccatori præstare potest, dummodo peccatum illius ipsi non placeat, & obsequia prædicta ob aliquem bonum finem faciat, puta, vt de re, & opera & industria sua, pretium, vel iustam mercedem sibi querat, ex qua honeste viuere possit. Quamuis enim huiusmodi obsequia, & officia peccato valde coniuncta sint non tamen in sese, & supra natura peccata sunt, & ideo ab omni peccato per finem diuictum, & feiunctum separari possunt, ratione cuius ea licite illi præstare queat. ex Nau. in Man. c. 27. nu. 195.

## DECISIO VII.

Ex cons. 7. in vtrisque.

**Q**ui cum amica fornicatur, & postea delectationis causa eam multoties deoscularur, sine intentione tamen iterum fornicandi, semel tantum peccare videtur quoad necessitatem confitendi numerum, eo quod illæ omnia oscula consequentia solum fornicationis iam habitæ videntur, vt ait Nau. in Man. c. 6. nu. 8.

## DECISIO VIII.

Ex cons. 8. alias 10.

**Q**uilibet Christianus eo ipso quod Christianus est sci re debet ad decem si dei articulos, & decem præcepta decalogi, & sancta generalia ecclesiæ præcepta, quod si aliquod officium habet, vel statum, tenetur etiam ea discere quæ ad prædictam officium, vel statum necessaria scitu sunt de præcepto: vel saltem viros doctos, & consiliarios literatos secum habere quoad illas res, in quibus alienum consilium sufficit.

## DECISIO IX.

**S**ciens omnia requisita ad statum suum, si aliquem actum faciat qui est peccatum mortale, quem tamen ipse ex ignorantia mortale esse nesciat, a peccato mortali communiter excusatur, nisi fuerit ignorantia alicuius iuris naturalis vel humani, quod omnes suæ conditionis, ætatis, & status sciunt, vel scire tenentur.

## DECISIO X.

**S**ubditus, qui dubitat aliquem actum esse mortalem, superiores suos, scilicet Episcopum, vicarium eius, vel parochum, seu confessarium consulendo, conscientia sue non satisfacit, si illos ita ignorates esse credat, vt illius dubio satisfacere nesciant, secus tamen si bona fide, illos sufficientem scientiam habere credat: tunc enim non peccat etiam si dubium suum ab alijs peritiis non interroget, casu etiam, quod alij doctiores reperiantur, cum nemmo in dubijs suis doctiores semper consulere tenetur, sed sufficit idoneus ad ea dissoluenda consulere; maxime si superiores sint, quia pauci sunt eminentes reperi. Immo Theologum vnum qui in loco illo bonus, & doctus communiter reputatur, consulere sufficit.

## DECISIO XI.

**C**onsulens varios Doctores, in quibus notabilis excessus in doctrina, & virtute non cognoscitur, si ipsi inter se diuersæ opinionis sint, potest ipse quamcumque velit eligere, dummodo eam quam eligit, probabiliorem, & rationi magis conformem arbitretur.

## DECISIO XII.

**C**onsulens vnum Doctorem de dubio, si cōsultus respondeat duas esse de illa re opiniones contrarias, quarum vtraque iuste teneri queat, potest consulens, quæ voluerit illarum sequi: Sin autem cōsultus respondeat vnam illarum opinionum esse veram, & alteram non, etiam si sit communis, tenetur consulens eam sequi, quam Doctor cōsultus definit esse veram, si aliunde ipsi contrarium non constat; Quia cum cōsultum petat, ad illud sequendum, si aliud melius non inuenierit, obligatur, nec potest suo iudicio opinionem, quam cōsultus falsam esse iudicauit, tenere, & sequi.

## DECISIO XIII.

**Q**ui actionem aliquam facere vult & tempus illi deest ad consulendum aliquem Theologum de modo, quo illa sine peccato mortali facere debeat verè dubius sit, ita vt non magis in vnam, quam in aliam partem inclinet, illam, donec dubium deponat, facere non debet, & faciendo mortaliter peccat: Sin vero ex aliqua ratione in vnam potius quam aliam partem inclinet scrupulum deponere potest & quod sibi bonum videtur facere sine alia consultatione, defectu commoditatis ad cōsulendum.

## DECISIO XIV.

Ex cons. 9. alias 1.

**Q**ui confessus est Sacerdoti quem auctoritatem habere putauerit, cum tamen verè non habuerit, postquam id restituerit, eisdem confessione reiterare tenetur, procurando si possit, quod prædicto confessario facultas fiat confessionem eius audiendi, qua obiecta, satis re confiteri ei omnia peccata quæ antea erat confessus tibi, & præterea addat, quæ postea commisit; & satis est quod confessarius prædictus meminerit illa peccata, vel penitentia, quam pro eis imposuit, vel quod paulo plus aut minus recorder statum vite eius in alijs confessionibus ex Nau. in Man. c. 9. nu. 16.

## DECISIO XV.

Ex cons. 10. alias 13.

**Q**ui vnum, vel alterum tantum peccatum confitetur, ita vt a confessario intelligatur, & omnia confiteri velit, & conetur id facere, licet nō possit proficere propter lingue ignorantiam, ita vt confessarius alia intelligere nequeat ab omnibus peccatis Sacramentaliter absolui potest, vt affirmat Nau. in Man. c. 21. nu. 36.

DE.